





2  
DISPUTATIO INAUGURALIS *Pr. 16. num. a*

DE

OBLIGATIONE *1661, 11*  
ACCESSORIA

*Seu*

FIDEIUSSIONE.

*Quam*

DEO PRÆSIDENTE

*Ex Decreto & Auctoritate*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ET AM-

PLISSIMI JURISCONSULTORUM OR-

dinis in Celeberrimâ Argentoratensiuu

Academiâ,

*Pro*

SUMMIS, IN UTROQUE JURE

*rite & legitime consequendis, honoribus, Privilegiis*

*& immunitatibus*

DOCTORALIBUS

*Solenni Examine submittit*

JOHANN CASPAR ZEISLER,

*Ciz-Misnicus.*

*Ad diem 7. Augusti.*

*1661*

ARGENTORATI,

Typis CAROLINIS.

ANNO MDC LXI.



DISPUTATIO IN AUCORALIS

DE

OBELIGATIONE

ACCESORIA

EDMUNDUS

THEO. P. S. I. D. E. N. T. E.


MAGNIFICENTISSIMO

RECTORI UNIVERSITATIS

SUMMIS IN URBOQUE

DOCTORALIBUS

JOHANNI CASPAR ZEISLER



Typis CAROLINIS

Anno MDCCLXI





*Bene universa geruntur & competenter, si  
rei principium fiat decens & amabile DEO. Inquit  
Imper. in Nov. 6. in pr. In nomine itaque Domini  
nostri IESV CHRISTI merito progredior.*

THESIS I.

**D**E Obligatione accessoria sive  
Fidejussione, cuius materiam totam practicabi-  
lem esse asserit, Ioan. Saixon, in *Consuetud. Ture-*  
*nens. tit. 1. quest. 24. gloss. 3. vers. nunc placet compen-*  
*diosè. Hering Tract. de Fidejuss. c. 1. n. 1. disputaturo,*

primo tradere convenit, unde vocabulum Fidejussionis descen-  
dat: quod à fide & jubendo deduci putamus, cum fideiubere  
idem sit, ac fid sua jubere. *l. 60. §. 1. ff. mandati. per fidem autem in-*  
*telligimus vinculum, quo necessitas rei promissæ inducitur, l. 67.*  
*ff. de procurat.* Inde & fidejussor ab eo dicitur, quod fide suâ ju-  
beat credi debitori, sive, quod fidem suam pro alio obliget apud  
creditorem, *l. 27. §. ult. ad Sc. Velleian. C. l. A. Libr. 46. tit. 1. th. 2. per*  
*jussionem hîc non intelligimus decretum, ut in l. 5. C. de iudic.*  
*sed authoritatem jubentis, l. 1. in fin. C. si in causâ judic. pign. capt. sit.*  
Excellentissimus Dn. D. Rebhan Fautor ac Promotor meus filia-  
li observantiâ colendus. in *Hodeger. juris Chart. II. Clim. III. §. 53.*  
*p. 498. Her. d. Tract. c. 2. n. 51.*

II.

Non uno autem modo vocabulum fidejussionis & fidejuf-  
foris sumi patet ex iis quæ multistradunt, *Wesenb. Paratit. h. t. n. 2.*

A

Val.

2.  
Val. Franc. *Tract. de Fidejusi. c. 1. n. 2 & seqq.* Sumitur enim vel I. generaliter pro eo, qui pro alio quovis modo fidem suam interponit, vel II. stricte, pro eo qui mediante stipulatione alienam obligationem in se suscipit & fide suâ esse jubet. C. I. A. *th. 3.*

III.

Breviter consideratâ notatione nominis ad definitionem progredimur, quæ diversa apud Dd. reperitur: Quidam enim Fidejussionem per stipulationem definiunt. Her. *d. Tr. c. 3. n. 8.* Dn. LudW. *Comment. Inst. Tit. de Fidejuss. in pr.* Quidam per Contractum verbis constantem, Hahn *Observ. ad VVes. h. t. n. 5.* Quidam per obligationem Zæf. *Com. Iur. Canon. h. t. n. 1.* Nobis, salvo aliorum Iudicio, placet ea, quam tradit C. I. A. *th. 5.* quod scilicet sit promissio sive appromissio, quâ quis stipulanti ad præstandum idem quod alius debet, salvâ manente principali obligatione se obstringit, quam etiam habet Bocer. *in Claß. part. 1. Disp. 16. th. 2.*

IV.

Divisionem Fidejussionis quod attinet, in eâ concinnandâ itidem varii sunt Dd. Hering. *cap. 4. n. 1.* Dispescunt enim eam vel I. in Iudiciale, quæ propriè satisfactio appellatur, teste Alciat. *in l. satisfactio de V. S.* quâ in Iudicio ita cavetur adversario, ut eum sive causa civilis, sive criminalis in lite sit, securum faciamus datis fidejussoribus idoneis. *l. 1. & l. 4. ff. de Custod. & exhib. reorum. l. 2. 3. 4. ff. qui satisf. cogunt:* & extraiudiciale, quæ in contractibus valdè usitata est, quando alter pro debitore principali fidem suam adstringit, Franc. *all. cap. 1. n. 35. & seqq.* C. I. A. *th. 7.* II. in expressam & tacitam: Bart. *in l. reos in pr. ff. de duobus reis:* quo pertinet quæstio illa: utrum duo rei invicem tacitè pro se fideiubere dicantur? de quâ vide Anton. Fabr. *lib. 2. coniect. c. 2. & seq. nec non* Iacob. Cuiac. *Tract. 4. ad African. p. m. 42. in pr.* Ubi generalem hanc conclusionem facit, quod duo rei debendi, etiamsi socii sint, non tamen vice mutuâ fideiubere videantur, nisi hoc nominatim actum sit: III. in eam quæ in dando & quæ in faciendo consistit, de quibus omnibus videri potest, Franc. *cit. cap. 1. n. 31. & seqq.* Her. *cap. 4. n. 3. & seqq.* Nos præcipuam putamus eam, quâ fide

de iussio à materiâ in civilem, quæ in causis civilibus contrahitur, arg. l. 16 §. fin. ff. h. t. & criminalem, quæ in causis criminalibus constituitur, l. 3 §. 5 l. 70. §. ult. ff. eod. dividitur.

V.

Ad causam efficientem pervenimus, quæ est voluntas eius, qui ad alterius obligationem accedit, & fidem suam principaliter obligato addit, disertis verbis explicata Wesenb. h. t. 3. Nulam enim agnoscimus necessariam fideiussionem respectu eius qui fideiussionem suscipit, quamvis talis dici queat respectu eius qui fideiussorem dare cogitur. l. 1 §. 1 ff. qui satisd. cog.

VI.

Subiectum fideiussionis sive personæ quæ fideiubere possunt, sunt omnes qui consentire & consentiendo obligari queunt, l. 3 h. t. Wesenb. all. loc. Azo in pr. C. h. t. C. I. A. th. 8. exceptis iis qui specialiter prohibentur.

VII.

Prohibentur autem quidam vel Naturâ vel Lege, C. I. A. th. 9. Naturâ i. pupilli infantes, & infantia proximi, cum neque intellectum, neque consensum habeant, §. 9. Inst. & inutil. stipul. l. 1. de V. O. fac l. 9. ff. de Acquir vel omitt. hered. Sunt autem infantes usque ad annum septimum completum, l. 18. pr. C. de iure deliber. Infantia proximi masculi quidem post initium anni septimi ad completum decimum cum dimidio; fœminæ post annum septimum ad novum & decimi dimidium, Accurs. in d. §. 9. Inst. de inutil. stipul. Hahn. Observ. ad Ves Tit. de pact. num. 5. verb. Impuberes. quamvis hoc alii committant arbitrio Iudicis. 2. Furiosi, sive enim stipulentur, sive promittant, nihil agunt, §. 8. Inst. d. t. l. 70. §. 4. ff. h. t. l. 5. de R. iur. cum ipsorum quoque nullus sit consensus, l. 2. C. de contrah. emtione: Eum tamen furiosum qui habet intervallam, sicut tempore intermissi furoris quos libet contractus celebrare, ita & fideiubere posse manifestum est, d. l. 2. C. de contrah. emt. 3. Mente capti amentes & fatui, arg. l. 12. l. 2. ff. de cu. at. furios. l. 21. ff. de reb. auri. jud. possid. 4. Muti, l. 1 §. 14 ff. de O. & A. l. 1 in pr. ff. de V. O. §. 7. Inst. de inutil. stipul. Fideiussio enim interposita stipulatione adeoque verbis fieri debet, l. 12. C. h. t. quæ cum mutus fa-

4.  
cere nequeat, ab eo fideiussionem celebrari non posse manifestum  
est: pari ratione nec. 5. à Surdo, quoniam verba stipulantis ex-  
audire debet fideiussor, fieri non posse fideiussionem constat *all.*  
*l. 1. §. ult. de O. & A. §. 7. Inst. d. r. Val. Franc. cap. 2. n. 21.*

VIII.

Lege prohibentur 1. Pupilli pubertati proximi sine tutoris  
authoritate, *l. 9. ff. de author. & consensu tutor. all. §. 9. Inst. de inutil. sti-  
pul. 2. Prodigii, l. 6. ff. de V. O.* Hic autem promittendo obligari  
nequit, non quidem ob defectum facultatis intelligibilis, sed  
voluntatis & vitium animi, quia consensus quem requirit pro-  
missio, duo habet principia, intellectum scil. & voluntatem:  
Quæritur hîc primo annon prodigus sine Curatoris consensu  
obligetur tantum naturaliter? quod negamus. 1. *per l. 40. de R. l.*  
ubi non magis velle posse quam furiosum dicitur. 2. *per d. l. 6 de  
V. O.* Secundo quæritur an minores sine Curatoribus suis fide-  
jubendo obligari possint? quod affirmamus, *per l. 43. de O. & A. l.*  
*101 de V. O. l. 48. §. 1. h. t.* siue curatores habeant, siue non. Excellen-  
tiss. Dn. Biccus piæ memoriæ, *sect. 1. Rer quotidian. th. 58.* Ita ta-  
men, ut si læsi fuerint ipsis detur beneficium restitutionis in in-  
tegrum, *l. 7. §. 3. ff. de minor. l. 3. C. de restit. in integr. Fachin. lib. 3. con-  
trov. c. 9. Bocet. all. Disp. 16. th. 8.* III. Servi, si extra rem peculiarem  
ignorante domino fideiubeant, *l. 3. l. 19. h. t. Welsenb. all. n. 3.* Quæ-  
ro, an servus fideiubendo obligetur naturaliter? Negat Glossa,  
Accurs. Bart. Castr. & communiter Dd. *in l. 19. & 20. ff. h. t. teste Go-  
thofredo in Not. ad. all. l. 20. lit. B.* affirmativam tamen veriorem  
putamus propter *text. ex pr. in l. 14. ff. de O. & A.* IV. Milites, *l. 8 §. 1.  
ff. qui satud. cog. l. 31. C. de locut. & cond. cuius rei hæc potissimum ra-  
tio est, ne quæsito negotiorum forensium colore avocentur à stu-  
dio militiæ, neque vexentur exactationibus dum militandum est.  
d. l. 31. Gædd de Contrab. stipul. cap. 7. conclus. 17. n. 300. & seqq.* an hoc  
in militibus nostri temporis obtineat? vide ap. Franc. *d. cap. 2. n.  
216. & seqq.* V. Mulieres, *l. 3. l. 48. pr. ff. h. t. tot. tit. ff. & C. ad Sct. Vel-  
leian.* Distinguendum tamen hîc est, utrum mulier pro marito  
fideiusserit an pro alio: Priori casu Jure Novell. penitus non est  
obliga-



obligata Nov. 134. cap. 8. *auth. si quâ mulier. C. an Sct. Velleian.* aded  
ut exceptione Scti uti neceesse non habeat: Posteriori casu,  
non quidem ipso jure tuta est, sed beneficio Scti Vell. obligatio-  
ni factæ se eximere potest, Gædd. d. cap. 7. concl. 16. n. 287. & seqq.  
quæ tamen eatenus saltem vera sunt, nisi renunciaverit, l. fin. §.  
pen. ff. h. t. & ibi Glossa: generalis enim regula est, quemq; favori pro  
se introducto renunciare posse, l. pen. C. de pact. quod autem bene-  
ficio Scti finaliter propter sexus & consilii muliebris fragili-  
tatem inductum sit, patet ex l. 2 §. 2 ff. ad Sct. Vellei. juncta l. 22. C. eod.  
maximè itaq; eidem renunciare poterit: Non obstante, quod etiã  
Sct. Macedonianum ob consilii imbecillitatem constitutum sit,  
cuius tamen renunciatio nulla est; Gloss. & Bart. in l. 11. ff. ad Sct.  
Macedon. Anton. Gomez. Variar. resolut. Tom. 2. cap. 6. n. 2. Donell.  
lib. 12. Comment. cap. 25. Nam hoc principaliter & finaliter intro-  
ductum est in odium fœneratorum, adeoque directò boni pu-  
blici causâ, ne filiorum fam. mores creditâ pecuniâ corrumpantur,  
quod ne fiat publicè interest, unde & odiosum dicitur, l. 40.  
ff. de Condict. indeb. Idcirco eius contra bonos mores & utilitatem  
publicam renunciatio esse nequit, Hahn. Obs. ad VVes Tit. ad Sct.  
Vell. n. 9. Quomodo autem renunciatio mulierum fieri debeat,  
videre est, ap. Bald. in l. 1. C. ad Sct. Vellei. Anton. Gabriel. lib. 2.  
Comm. con. l. Tit. de iureiur. concl. 3. Azon. in summ. C. ad Sct. Vell. n. 4.  
Gail. lib. 2. Obs. 77. De Jure Saxonico mulier pro marito inter-  
cedens efficaciter non obligatur quoad dotem illatam, nisi juri  
hypothecæ & beneficio Scti Vellei. medicante juramento re-  
nuunciaverit, per expr. Const. 16. part. 2. §. Ob nun wohl. 26. & ibid.  
Carpz. Def. 1 & seqq. ubi ampliaciones & limitationes huius regu-  
læ tradit: plures casus in quibus Scti exceptione mulier non ju-  
vatur, vid. ap. Azon. all. loc. n. 5. & seqq. Gædd. d. c. 7. concl. 16. n. 299.  
VI Prohibentur fideiussionem in se recipere Clerici, ne per hanc  
occasionem sanctis domibus damnum fiat, & sacra ministeria  
impediantur. Nov. 123. c. 6. cap. 1. extr. de fideiusi. c. te quidem 11. quest. 1.  
præsertim pro laico: nam clericum pro clerico fideiubere pos-  
se tradit Glossa all. c. te quidem, per l. 33. §. in hac. C. de Episc. & Cler. &



6.  
videtur probari in *caq. 2. X. de fideiuss.* Hering. *cap. 7. n. 252. & seqq.*  
*ubi plures limitationes habet.* an Clericus, qui quamvis ab initio  
fideiussor idoneus esse nequeat, de facto tamen fideiubeat, obli-  
getur, imprimis si contra eum nihil sit exceptum? *vi d. ap. Her. all.*  
*c. 7. n. 249 & seqq.* ubi contra *Gloss. in c. se quid. m. n. quest. 1. & c. 1. verb.*  
*interviens X. de fideiuss. n. 6.* Bartol. *in l. qui sa. uda. e. ff. de fideiuss. & alios*  
*ab eo allegat. s. negativam defendit. per text. in l. 5. C. de LL. VII Ebrii*  
*si nimirum usque ad alienationem mentis poculis obruti sint:*  
*tales enim quid faciant, quid loquantur, nesciunt, nec absimiles*  
*sunt mente captis, prodigis & infantibus, qui consentire & con-*  
*trahere nequeunt. l. 1. § furios. de O. & A. Gædd. d. c. ap. 7. concl. n. n.*  
*166. & seqq. Her. all. c. 7. n. 119.* De ex-communicatis & bannitis  
quid sentiendum sit, vide ap. Hering *all. n. 119. & seqq. n. 599. & 600.*  
*Gædd. all. loc. & concl. 3. n. 17. & seqq. C. I. A. th. 10.*

IX.

Non tamen omnes qui consentire possunt, statim sunt  
idonei fideiussores, sicut nec ii qui specialiter tales esse non pro-  
hibentur, sed ut idoneus fideiussor aliquis sit, requiritur insuper.  
1. Ut sit locuples & solvendo, *l. 1. ff. in ius vocati: hoc est talis qui*  
*satis habet pro magnitudine rei. l. 234 §. l. uoles & ibi Gædd. de*  
*V. S.* Nam qui non possidet pro cautione actoris vel creditoris  
sufficiencia immobilia vel mobilia, quæ tamen facile auferri  
non possunt: neutiquam pro idoneo fideiussore habendus est:  
*Hyppol. in rubr. de fideiuss. n. 227. & seqq. Petr. Peccius de iure sisten-*  
*di. c. 45. n. 12.* 2. Ut possit de facili & eum effectu conveniri, *l. 2.*  
*ff. qui s. iud. cog. l. 3. ff. h. t.* qua ratione pro idoneo non habetur fide-  
iussore, qui privilegio aut præscriptione fori gaudet. *l. 7. in pr. ff.*  
*qui s. iud. cog. l. 1. ff. si quis in ius vocal. nisi suo privilegio specialiter*  
*renunciaverit, d. l. 1. si quis in ius vocal.*

X.

Obiectum fideiussionis sive materia circa quam sunt om-  
nes obligationes ex quibuscunque ortæ contractibus. *l. 1. l. 8.*  
*§. 6. ff. & §. 1. inst. h. t.* sive re, sive verbis. sive consensu, sive literis  
contractæ fuerint, *d. §. 1. inst. & l. 8. §. 1. ff. h. t.* sive sint obligationes  
princi-

principales, five accessoria, l. 27. §. ult. h. t. Wesenb. Parath. h. t. n. 4.  
 Hering. cap. 10. n. 1. datur enim & fideiussionis fideiuffio, l. 8. §. fin.  
 h. t. Her. cap. 4. n. 56. & seqq. Vbi tamen notandum, eum demum  
 reverâ fideiufforem fideiufforis dici, qui, cum primus antea per  
 stipulationem se obligasset nihilominus tamen ad maiorem se-  
 curitatem, suam quoque fidem interponit, Her. all. loc. n. 59. five  
 sint utroque Jure tam civili quam naturali firmæ, five etiam na-  
 turali tantum: nam & pro tali rectè fideiubetur, l. 6. §. ult. l. 7. l. 16.  
 §. 3. ff. h. t. all. §. 1. Inst. eod. & hoc casu, quando nimirum fideiuffor  
 naturali obligationi tantum accedit, arctius obligatur fideiuffor  
 quam principalis, à quo naturaliter tantū obligato peti nihil po-  
 test, à fideiuffore autem qui pro tali intervenit, potest, Mynsing.  
 Comment. in Inst. h. t. §. 1. n. 5. Et quod hoc casu arctior existat ob-  
 ligatio fideiufforia sibi imputare debent, qui alteri, quam minus  
 efficacem sciebant, vel scire debebant, accedunt, arg. l. 34. ff. de  
 pact. Hahn. in Not. ad VVes. h. t. n. 5. verb. tamen potest efficacius. Franc.  
 cap. 3. n. 7. & seqq. Per naturalem autem obligationem hîc non  
 intelligimus eum, quæ mero ex instinctu naturæ oritur, qualis  
 est ea, quæ ad *ad id quod obligat*, hæc enim nostro jure, cum neque  
 ad certum quid obliget, nec necessitate ullâ adstringat, pro ob-  
 ligatione verâ non habetur, arg. l. 25. §. 11. de hered. petir. Donell lib.  
 12. cap. 2. Duaren. ad Tit. de O. & A. cap. 2. Sed eam quæ suam quan-  
 dam necessitatem, & effectus quosdam etiam jure civili habet,  
 veluti, quod soluti repetitionem impediatur, l. 10. de O. & A. com-  
 pensari, l. 6. ff. de compensat. novari, l. 1. ff. de novat. & in constitu-  
 tum deduci possit. l. 1. §. 7. ff. de constit. pecun. Et hæc ut pignora  
 admittit. l. 14. ff. de pign. ita & fideiuffores recipit, all. §. 1. Inst. & l.  
 16. §. 3. ff. h. t. Sub civili obligatione etiam Prætoriam intelli-  
 mus, all. l. 8. §. 2. h. t. Gædd. cap. 6. c. n. l. 24. n. 351. five ex delicto, vel  
 quasi, proveniant obligationes; nam & pro iis rectè intervenite  
 potest fideiuffor. l. 8. §. 5. h. t. veluti si fur ei, cui furatus est, fideiuf-  
 forem det, de pœnâ furti nomine persolvendâ, l. 56. §. ult. h. t. Nam  
 ut Caius in l. 70. §. id quod vulgo. h. t. ait, pœnas ob maleficia solvi  
 magna suadet ratio, Mynsing. all. loc. n. 4. quæ quidem vera sunt,  
 si ex

2.  
si ex delicto agatur civiliter: Sed quid si agatur criminaliter? Distinguendum hinc est, utrum agatur ad pecuniariam poenam fisco applicandam, an ad corporis afflictivam aut capitalem: Priori casu recte adhibetur fideiussor: quia tunc fideiussio praestat expeditiorem executionem poenae in eo à quo solvenda est, vide *l. 1. ff. de Custod. & exhibit. rerum l. 70 §. ult. h. t. l. 6. §. 1. ff. de muner. & honor.* Posteriori casu non admittitur fideiussor, nisi fortè de iudicio sistendo, *l. 2. de custod. & exhibit. rerum* Bach. *Comm. Inst. Tit. de fideiuss.* §. 1. n. 1. neutiquam tamen de iudicato solvendo, Hahn *Obs. ad Wesenb. h. t. n. 4.* Sive sit praesens sive futura obligatio, *l. 6. §. ult. h. t. C. I. A. th. 11. Treutl. vol. 2. Disput. 28. th. 3. lit. F.* Quaestio hinc occurrit de dote, an nimirum pro dote restituenda à marito fideiussor dari possit? quod affirmamus: Sicut enim pro dote maritus potest dare pignora, *l. 7. §. 6. de donat. inter vir. & uxor. l. 5. ff. de pignor. l. 17. §. 1. ff. ad Sct. Vellei.* ita & fideiussores dare poterit: cum fideiussio pignoris dationi par sit & similis, *arg. l. 21. §. 2. ff. de const. pecun. Ludvv. Comm. Inst. h. t. §. 1. n. 1.*

XI.

Explicatâ materiâ fideiussionis progressum facimus ad formam, quæ consistit in accessione sive intercessione, ut nimirum fiat, I. Mediante stipulatione, *l. 5. §. 2. & ibi Jason. ff. de V. O. l. 12. C. de fideiuss. §. 8. Inst. h. t. Wesenb. n. 5. C. I. A. th. 4. & 13.* Fideiussio enim stipulationum solenni cautela vallari debet, *l. 33. §. in hac C. de Episc. & Cler. & nisi ea intervenerit, nulla fideiussio esse potest, Hering. cap. 11. n. 2.* Semper autem praesumitur intervenisse stipulatio, si scriptum sit fideiussum esse, *all. §. 8. Inst. h. t. l. 30. ff. de V. O. ibiq. Gloss. & Dd. Ludvv. Comm. Inst. all. §. 8. n. 1.* Cum vero stipulatio non nisi inter praesentes ac utroque loquente fieri possit, *l. 1. ff. de V. O. l. 3. C. de contrah. stipulat. l. 3. C. de inutili stipul. consequens est, fideiussionem inter absentes vel per scripturam contrahi non posse, C. I. A. th. 4. circa fin. & hac ratione discernitur fideiussio (1) à sponsione quæ citra stipulationem per pactum, & absque interrogatione fieri potest. Gædd. ad *l. 6. de V. S. n. 4. §. & 15. Franc. c. 1. n. 23. C. I. A. all. th. 4. (2) à pollicitatione, quæ solius**

9.  
folius offerentis promissum est. *l. 3. in pr. ff. de pollicitat.* (3) à con-  
stituto, quod per pactum nudum fit, sine stipulatione, §. 9. *Inst. de*  
*act. Wes. Tit. de constir. pec. n. 3.* quodque per epistolam vel nun-  
tium & inter absentes quoque fieri potest, *l. 14. §. ult. l. 26. l. 27. ff.*  
*de const. pec. Franc. d. cap. 1. n. 27.* (4) à mandato, quod æque per  
pactum nudum. *l. 1. pr. ff. mandat. pr. Inst. de Obl. ex consensu.* itemq;  
per epistolam, nuntium, & inter absentes contrahi potest, *all. l. 1.*  
*§. 1. ff. mandati.* Nihil autem refert, quâcunque linguâ, latinâ  
vel græcâ, vel etiam aliâ fideiussio fiat. *l. 8. ff. h. t. §. 7. Inst. eod.* quem-  
admodum enim stipulatio hodiè quacunque lingua contrahi-  
tur. §. 1. *Inst. de V. O.* Ita & fideiussionem, quæ stipulationis spe-  
cies est, & non nisi mediante eâ fit, rectè quocunque sermone  
fieri, dicendum est. *Ludvv. Comm. Inst. §. 7. h. t.* II. Ut observetur  
proportio & congruentia cum obligatione principali; non enim  
in duriores causam vel maiorem summam, quam in principa-  
li obligatione continetur, fideiussio admittenda est, *l. 8. §. 7. ff. &*  
*§. 5. Inst. h. t.* Rationem Imperator, *in d. §. 5.* hanc reddit: quo-  
niam fideiussio principalis obligationis accessio est, in accessio-  
ne autem plus esse nequit, quam in principali, licet minus esse  
possit, *l. 34. ff. h. t. VVesenb. n. 5. Bocer. in Class. part. 1. Dissut. 16.*  
*th. 17.* Oritur hîc quæstio, an videlicet, si fideiussor in maiorem  
summam obligatus sit, puta hic quinque, ille decem promiserit,  
fideiussio in totum concidat, an quoad summam concurrentem  
valeat? quibus affirmant multi magni nominis JCTi, quos refert  
*Hering. cap. 24. n. 53. & seqq.* Nos contrarium, nimirum fideiuf-  
sionem quoad summam concurrentem valere, & æquius & ve-  
rius esse putamus: 1. per *l. 1. §. 4. de V. O. & arg. l. 27. §. 5. ff. de pact.*  
quod nempe regulariter in maiori summâ insit minor, sicut in  
viginti insunt quinque, decem & quindecim, non quidem simul,  
sed ordine successivo. 2. Quod quoties amplius promissum  
est, quam promitti oportuit, non tota obligatio, sed id quod su-  
fluum est, tantummodo infirmetur, *arg. l. 11. §. 1. & l. 12. ff. de Con-*  
*stit. pecun. l. 3. §. 2. cum l. seq. ff. mandat.* 3. Per regulam juris, toties  
utile per inutile non vitari, quoties utile ab inutili separari &  
B distin-

distingui potest. *c. 37. de R. I. in sexto.* Hancque opinionem tuentur Wesenb. *all. n. 5.* & ibi Hahn. *nec non Her. citat: cap. 24. n. 65.* & seqq. ubi *n. 83.* multos alios adducit, qui hanc veram, & contrariam nunquam receptam esse dicunt & docent. III. Requiritur ad formam fideiussionis, ut fiat eidem sive creditori stipulanti, *l. 16. pr. l. 23. ff. h. t.* & ratione eiusdem. *l. 5. §. 2. de V. O.* in aliam enim causam, quam quæ in stipulatione fuit, fideiussor adhiberi nequit. Wesenb. *d. n. 15.* Omnis tamen fideiussio fit propter debitum alienum; nam sui ipsius debiti nemo potest existere fideiussor, quamvis constitutor aliquis tam pro suo, quam pro alieno debito esse possit, *§. 9. Inst. de Action.* IV. Pertinet ad formam fideiussionis, ut fiat salvâ manente principali obligatione: Fideiussor enim fideiubendo semper relinquit debitorem obligatum, *l. 1. §. 8. ff. de O. & A. l. 8. §. 3. ff. de novat. l. 3. l. 34. ff. de fideiuss. C. I. A. th. 4. Gædd. cap. 5. concl. 4. n. 12. Her. cap. 3. n. 26.* & ita differt iterum fideiussio. 1. à constituto: constituens enim reum principalem à tota obligatione liberare potest eamque in se derivare, si quasi novandi animo constituat. *C. I. A. all. loc.* 2. Separatur hâc ratione ab expromissore, qui seipsum reum principalem facit, & priorem expromittendo liberat, *l. 53. in fin. ff. de contrah. empt. Wesenb. n. 3.*

## XII.

Obligationibus autem illis, quæ nullo jure validæ sunt, fideiussorem accedere non posse, manifestum est: nam fideiussio cum accessoria sit, principalem obligationem, cui adhæreat necessariò requirit *l. 1. ff. h. t.* unde annullatâ obligatione principali, annullatur quoque fideiussoria. *l. 5. in pr. ff. u. legat. non cav. Wesenb. n. 4. Hering cap. 0. n. 22. Gædd. cap. 6. n. 359.* Idem iudicium esto de obligationibus impossibilibus, *l. 29. ff. h. t. l. 155 l. 183. de R. I.* item turpibus & inhonestis: nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem seu verecundiam nostram, ea nec facere nos posse credendum est. *l. 15. ff. de con. it. Inst. t.*

## XIII.

Nihil autem interest, utrum fideiussio sequatur obligationem

II.

nem principalem, an verò præcedat eam, §. 3. *Inst. h. t.* quod posteriorius tamen ratione temporis & conceptionis verborum, solummodo verum est, non autem ratione effectus & virium: nam hoc sensu fidejussio principalis obligationis accessio est & sequela, l. 3. ff. h. t. l. 15. §. 16. ff. de *Instit. actio.* Cum enim fidejussor antequam reus debeat conveniri nequeat, l. 57. ff. h. t. eiusque obligatio in pendentem sit. l. 35. ff. de *jud. c.* sequitur fidejussionem vires habere non posse, nisi obligatio aliqua præcesserit quæ sit efficax, arg. l. 129. §. 1. de *R. I.* Ludv. *Comm. ad all.* §. 3. *Inst. h. t.* Pac. in *Analys. Inst. eod.* Hahn. *all. n. 5.* verb. non modo sequi.

XIV.

Et pure & sub conditione, l. 6. §. 1. l. 8. §. 7. l. 16. §. 5. l. 27. pr. l. 70. pr. & §. 1. l. 72. ff. h. t. & ad certum tempus & ex tempore certo, l. 27. C. h. t. fidejussor accipi potest. C. I. A. th. 13. Nam & verborum obligatio diem recipit. l. 41. de *V. O.* & conditionem, §. 6. *Inst. eod.* Fidejussio autem non aliter nisi verbis contrahitur, l. 12. C. h. t. Franc. *dict. cap. 4. n. 81.* Per puram obligationem hic intelligimus præsentem. l. 9. ff. de *R. C.* quæ cum ipso negotio principali absque ullâ aliâ adjectione diei aut conditionis statim exordium capit: quæ vacua ac libera est ab iis rebus, quæ stipulationis vinculum eiusque usum ac effectum differre solent, Gædd. *cap. 8. conclus. 4. n. 17.* Conditionaliter tamen accedens fidejussor, non aliter tenetur, quam si conditio adimpleatur: nec fidejussionis sub conditione præstitæ dies dicitur cessisse aut venisse ante purificationem conditionis, Her. *cap. 11. n. 198. & 199.*

XV.

Finis obligationis fidejussoriæ proponitur in l. 1. §. 3. ff. de *O. & A. pr. Inst. de fidejuss. & §. ult. Inst. de replicat.* consistit autem in securitate rei in obligationem deductæ, Mynsing *Comm. Inst. Tit. de fidei. in pr. n. 5.* Homines enim propterea fidejussores accipere solent, ut curent, quo diligentius sibi sit cautum, & cum fortè facultatibus lapsus fuerit principalis, ut possint ab iis, quos pro eo obligârunt, quod iste debet consequi, & ita intelligendus est,

Wesenb. quando n. 4. h. t. dicit; fidejussionem nihil aliud esse quam solutionis severitatem.

## XVI.

Traditis fidejussionis causis; Effectus sequitur, qui alius est respectu Creditoris, alius respectu fidejubentis: Quoad Creditorem oritur ex fideiussione actio ex stipulatu, quâ creditores à fidejussoribus petunt id, quod in stipulationem deductum est, arg. pr. l. de V. O. Excellent. Dn. D. Biccus Sect. 4. Rer. Quotit. th. 72. lit. LL. & quidem olim indistinctè etiam ante reum principalem, sive is solvendo fuerit sive non; potestas enim erat creditori, relicto reo, eligendi fidejussores. l. 3. l. 5. C. h. t. Hodiè autem & Jure Novissimo creditores necesse habent prius excutere debitores neque convenire queunt fidejussores, nisi debitores principales absentes fuerint vel non solvendo, auth. presente C. h. t. Si enim fidejussores ante reum conveniunt, excussionis sive ordinis beneficio se defendere possunt, Nov. 4. c. 1. C. I. A. th. 14.

## XVII.

Respectu fidejubentis autem, si is solutione pro reo præstitâ, vel alio modo promissioni satisfecerit eius recuperandi gratiâ habet contra reum mandati Judicium, §. 6. Inst. h. t. quicquid enim fidejussor pro reo principali solverit, id ab eodem recuperare potest mandati actione, modo intercesserit debitoris mandatum, l. 20. §. 1. ff. mandat. C. I. A. d. th. 14. aut pro eo præsentem vel scientem & non contradicentem sed patientem fidejussio facta sit, l. 6. §. 2. ff. l. 6. C. mandati. Franc. cap. 5. n. 505. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Diss. 28. th. 6. it. D. Nam si pro absente aut ignorante quis intercesserit negotiorum gestorum actio locum habet, arg. l. 34. §. 1. ff. de negot. gest. l. 20. §. 1. ff. mand. Franc. d. l. n. 507. si pro reo præsentem & vetante, nulla plane competit actio, l. 40. ff. mandat. Ludvv. Comm. Inst. h. t. §. 6. Interdum tamen datur fidejussori actio mandati etiam antequam solverit. 1. Si fidejussor jam sit judicio condemnatus, l. 6. C. mand. vel si ita convenerit, ut fidejussor contra reum etiam ante solutionem agere possit, l. 10. Cod. eod. 2. Si



2. Si pecuniam creditori oblatam fidejussor solenniter deposuerit: hæc enim depositio solutionis instar est, *l. 56. §. 1. ff. mandat. l. 64. ff. de fid. j.* 3. Si debitorem suum delegaverit, quamvis eum qui solvendo non erat *l. 18. ff. h. t.* solvit enim qui delegat suum debitorem, *l. 26. §. 2. ff. mand. l. 2. C. de novat.* Gothofr. in Not. ad all. *l. 18. lit. D. Franc. cap. n. 528.* 4. Si reus diu cessaverit in solutione faciendâ, aut certè bona sua dissipaverit, maximè si fidejussor non habeat in promptu pecuniam, *l. 38. §. 1. ff. mand. l. 10. C. eod.* 5. Si is qui fidejussori donare vult, creditorem eius habeat debitorem suum, eumque liberaverit, continuò aget fidejussor mandati, quandoquidem nihil intersit, utrum nummos solverit creditori, an eum liberaverit, *l. 26. §. 3. ff. mand.* 6. Si creditor fidejussori remunerandi gratiâ donaverit debitum, vel liberationem eius legaverit, *l. 10. §. fin. ff. h. t.* Hæc enim remuneratio intuitu fidejussoris non debitoris facta est: secus tamen se res habet, si generaliter non remunerandi causâ fidejussori à creditore donandi animo accepto factum, h. e. actio remissa est, tunc enim fidejussor adversus debitorem principalem mandati iudicium non exercebit, *l. 12. in pr. ff. mand. Franc. d. cap. 5. n. 550.* 7. Si alius pro fidejussore solverit, *l. 12. §. 1. l. 14. in pr. l. 50. pr. verb. fidejussor & mandati. l. 71. §. ult. h. t.* vel fidejussor creditori heres extiterit, *l. 11. ff. mand. Vide C. I. A. th. 14. ubi plures casus recensentur.*

## XVIII:

Ad effectum quoque pertinet: Primò, quod fidejussor æque ac ipse principalis ex suâ promissione obligetur *l. 4. §. 1. ff. h. t. VVesenb. n. 6. unde & reus. d. l. 4. & debitor. l. 4. ff. de solut. appellatur:* Ad id autem tantum obligatur regulariter, quod ab initio contractus conventum & in obligationem deductum fuit, siue fors sit, siue usura, *l. 8. C. quodcum eo qui in alien.* nam in contractibus quæ ab initio placuerunt, inspici debent, *l. 1. §. 32. ff. de pos. & servanda sunt, d. l. 1. §. 6.* Idque si expressè pro usuris, *l. 5. C. de pact. inter em. & vend.* vel etiam si expressè in omnem causam vel eventum fidejussum sit, *l. 54. in pr. ff. locat. l. 1. §. 6. ff. de pos.*

B 3

per

per se manifestum est: sicut & contrarium æque patere putamus fidejussorem nimirum, quando appositâ certâ summâ se obligavit, simulque dixit, se ultrâ eam teneri nolle, in plus conveniri non posse, *l. 68. §. 1. ff. h. t.* Sed quid si fidejussor simpliciter pro alio se obligaverit? eum ad præstandas usuras vel interesse obstrictum non esse dicimus: quia ut supra positum, cuiuslibet obligationis vis & qualitas ex contractus initio æstimanda est, *all. l. 1. §. 30. ff. depos.* Jam verò si initium obligationis spectemus & mentem fidejussoris ponderemus, is simpliciter intercedendo, ad id tantummodo obligari voluit, quod tempore conventionis esset debitum, *arg. l. 4. C. de usur.* non quod de futuro accresceret.

## XIX.

Secundò pertinet ad effectum fidejussionis, ut fidejussor non solum ipse obligetur, verum etiam heredem suum relinquat obligatum, *l. 4. §. 1. ff. h. t. l. 24. C. eod. §. 2. Inst. h. t.* quia æquum est, ut ex quâ personâ quis lucrum capiat, eius quoque factum præstare non recuset, *l. 149. de R. I.* & heres adeundo hereditatem defuncti voluntatem comprobare intelligitur, *l. 55. §. 2. ff. ad Sct. Trebell.* Hinc vicem sustinere defuncti, & cum eo unam eandemque personam habere censetur fictione juris, *l. 22. ff. de usurp. & usucap.* quod adedò verum est, ut procedat etiam tunc, quando in instrumento fidejussionis nulla heredis facta sit mentio: cur enim quod in principalibus personis justum est, non ad heredes & adversus eos transmittatur? *l. 13. C. de contrab. stipul. Bachov. ad Treutl. d. Disp. 28. th. 5. lit. B.* Sed quid si in instrumento fidejussionis particulæ taxativæ, veluti, Ego solus, Ego tantum &c. positæ reperiantur? & hoc casu obligationem ad heredes transire putamus: Dictio namque taxativa licet exclusiva sit omnium casuum extra orationem, in quâ ipsa est, positorum, non tamen excludit casus sive personas similes. Everhard *Loc. Legal. à naturâ diction. taxativar. n. 4. & 5.* nisi fortè consuetudine aliud introductum sit: Dubium enim non est, quin sicut pacto expressè conveniri potest, ne fidejussio heredes constringat, ita  
etiam

etiam consuetudine idem effici possit, à pacto enim ad consuetudinem fortè & frequens sumitur argumentum, nisi ratio diversitatis subsit, attestante Everh. *loc. à pacto ad Legem. n. 1.* Bachov. *ad treutl. all. loc. verb. excipe tamen.* aut in instrumento expressè comprehensum fuerit, ut si unum fidejussorem fatis cedere contigerit, debitor alium in eius locum surrogare teneatur, per eam quæ tradit Franc. *cit. cap. 5. n. 89 & seqq.*

## XX.

Tertiò spectat ad effectum fidejussionis, ut si plures sint, singuli in solidum obligentur & conveniri possint. § 4. *Inst. h. t.* cum singuli obligationem principalem fide suâ esse jubeant, l. 3. *C. h. t.* electio itaque competit creditori, unum ex illis quem velit convenire in solidum, *all. §. 4.* Nam obligatio inter eos ipso jure divisa haud est, sed singuli in solidum obligati censentur, quamvis in instrumento fidejussionis de eo nihil fuerit expressum, *all. l. 3. in fin. C. h. t.* Qui tamen fidejussionis effectus, tanquam rigorosus æquitatis temperamento postea mitigatus est ab Imperatore Hadriano: cum enim modo laudatus Imperator videret, nimium confidejussores premi, si omnes in solidum teneri debeant, inde ad creditorum molestiam restringendam, singulari æquitate commotus, introduxit, ut creditor pluribus fidejussoribus obligatis, actionem inter eos dividere, & à singulis virilem tantum portionem petere cogeretur, si modo tempore litis contestatæ fidejussores sint solvendo, *all. §. 4. Inst. l. 26. l. 27. §. 1. l. 28. & l. 51. ff. h. t. Excellentiss. Dn. D. Bicus Sect. 11. Rer. quotid. th. 73.* quod tamen non ita intelligendum est, ac si Imperator obligationem ipso jure divideret, ut scilicet singuli pro parte tantum essent obligati, *per text. expr. in l. 26. ff. h. t.* sed exceptionem tantum dedit fidejussori convento, ut eleganter docet Bachov. *comm. Inst. §. 1. h. t.* quæ exceptio etiam ad heredes fidejussoris transit, l. 27. §. 1. *h. t.* Opponenda tamen est hæc exceptio debito modo aliàs, si fidejussor eam omiserit & totum debitum solverit, neque à creditore potest repetere id quod

quod suam portionem excedit; quia ipso jure quilibet in solidum obligatus est; neque etiam à confidejssore: qui sibi imputet, quod hanc exceptionem non opposuerit, *all. §. 4. Inst. l. 39. & l. 49. §. 1. in fin. ff. h. t.* Iste enim, qui exceptionem quam habet, non opponit, juri suo renunciare videtur, *l. 12. ff. de novat.* Utrum autem hæc exceptio etiam post litem contestatam possit opponi, acriter inter Dd. disputatur, nos hanc controversiam in medio relinquimus, & judicium nostrum certis ex causis suspendimus, potest tamen videri *C. I. A. thes. 30. Hering. cap. 28. num. 29. Bachov. modo citato loco.* Plures casus in quibus hæc divisionis exceptio cesset videre licet in *C. I. A. th. 25. & 27. & ap. Schneidevv. Comm. Inst. h. t. §. 4. num. 20.*

## XXI.

Præter beneficium hocce divisionis competit fidejssori quoque beneficium Excussionis sive ordinis: Nam licet Jure veteri liberum fuerit creditori, post moram debitoris relicto reo fidejssorem eligere & convenire, ut supra th. 16. monstravimus; tamen cum & hoc nimis durum videretur, mutatum sancitumque fuit, ut ante omnia reus principalis excutiatur & conveniatur, *Nov. 4. cap. 1. & auth. presente C. de fidejss.* id quod si non fiat, fidejssor excussionis sive ordinis beneficio adversus creditorem agentem se tueri potest. *C. I. A. thes. 15.* quæ ordinis exceptio non tantum ipsis, qui alienæ obligationi accesserunt, competit, sed & eorum heredibus conventis, *l. 27. §. 3. h. t.* ante litem contestatam autem regulariter hæc exceptio opponenda est, differt enim potius quam perimit obligationem vel actionis substantiam, *Everh. in Top. loc. 1. num. 5. C. I. A. thes. 22.* Restrigitur tamen hæc assertio, nisi fortassis hæc exceptio post litem contestatam demum emergat: nam quæ de novo oriuntur, novo indigent auxilio, *l. 11. §. 8. ff. de interrogat. in jur. fac.* quod accidere potest, si creditor fidejssorem absente principali convenerit, tunc enim fidejssor propter absentiam rei exceptionem ordinis opponere nequit. *Franc. d. cap. 5. num. 280. & seqq.* Quamvis itaque  
ut di-

ut dictum hoc beneficium tam fidejussoribus, quam ipsorum heredibus competat, reperiuntur tamen certi casus excepti, qui beneficium hoc cessare faciunt, quos vide in C. I. A. thes. 17. & 19. & ap. Franc. *sapius all. cap. 5. num. 315. & seqq.* Imprimis autem cessat hoc beneficium, quando fidejussor se obligavit ut principalem debitorem, talis enim obligatio videtur continere tacitam renunciationem beneficii excussionis, C. I. A. d. th. 17. nam si fidejussor se obligat tanquam principalem debitorem non vult gaudere beneficiis fidejussorum, quia nemo potest esse simul debitor principalis & fidejussor l. 2. §. 3. h. t. fit enim confusio obligationum, l. 93. §. 2. l. 95. §. 2. ff. de solut. Id quod multò magis verum est si fidejussor novandi animo principalem obligationem in se susceperit, vide Hahn. *Obs. h. t. num. 5. verb. aut excusis. p. m. 660.*

## XXII.

Restat nunc beneficium cedendarum actionum quod competit fidejussori ad hoc, ut eo se tueatur adversus creditorum solidum petentem, ne ad solutionem, priusquam sibi actiones, quas habet creditor tum contra principalem, tum contra confidejussores, cesserit, possit compelli: Hering. *cap. 27. part. 3. num. 12. & seqq. Franc. cap. 5. num. 480.* Hanc actionum cessionem si creditor recusat, aut suâ culpâ facere nequit, ab agendo utique repellitur, nec fidejussor ad solutionem adigitur. C. I. A. thes. 32. Franc. *all. num. 480.* idque summâ nititur æquitate, nam si à creditore fidejussori actiones contra confidejussores cessæ non fuerint, eos solutione factâ convenire nequit. l. 39. ff. l. ii. C. h. t. nulla enim est inter confidejussores conventio, nec obligatio: petenda tamen est hæc cessio ante solutionem, vel in ipsâ solutione, non post illam factam, cum per solutionem omnis tollatur obligatio & actio, C. I. A. thes. 33. Franc. *num. 482.* quod equidem verum est stricto Jure & respectu creditoris, non autem respectu confidejussoris: de æquitate enim etiam intervallo,

C

lo,

lo, pacto vel protestatione non præeunte, huiusmodi actionum  
cessio à fidejussore peti, adeoque creditor actione empti ad fa-  
ciendam cessionem compelli potest: cum hoc casu fidejussor  
solvens sit quasi emptor nominis, cui creditor quocunque tem-  
pore postulet jus suum tradere necesse habet, *l. 36. ff. h. t. Franc.  
dict. cap. 5. num. 484.* Quomodo autem hæc cessio actionum à  
creditor fieri debeat, docet idem *cit. cap. 5. num. 489 490.  
& seqq.*

## XXIII.

Contraria fidejussionis præcipuè sunt: Error *l. 37. ff. h. t.*  
Vis & metus *l. 5. C. de inutil. stipul.* item dolus tam creditoris quam  
debitoris, *l. 1. in pr. & tot. tit. ff. de dolo malo*: hæc enim omnem  
consensum excludunt, *l. 15. ff. de iur. l. 8. & 9. C. de iur. & fact.  
ignor. l. 116. de R. I.* qui tamen in fidejussione maxime requiritur,  
ut patet ex traditis, supra th. 5.

## XXIV.

Extinguitur fidejussio variis modis, præcipuè autem solu-  
tione eius quod debetur, §. 1. *Inst. quibus mod. toll. obl. l. 36. h. t. l. 17.  
C. de solut.* sive principalis reus sive fidejussor eam fecerit, *all. §. 1.  
Jurejurando*, si modo ita iuramentum interpositum sit, ut de  
ipso contractu & de re, non de personâ jurantis ageretur. *l. 28.  
§. 1. l. fin. §. fin. ff. de jurejur.* quia iuramentum pro veritate habetur ac  
vim solutionis obtinet, maximumque est remedium expedi-  
darum litium, *l. 1. d. cit. tit.* Imò majorem habet auctoritatem  
quam res judicata, *l. 2. ff. d. t.* Novatione, *l. 60. ff. l. 4. C. de fide-  
juss. §. Inst. quibus mod. toll. oblig.* si nimirum expressè & animo  
novandi hoc fuerit actum, *l. fin. C. de novat. Trentl. all. Disp. 28.  
th. 7. lit. B.* aliud tamen est, si in novatâ posteriori se iterum ob-  
ligaverit, *all. l. 4. C. h. t.* Delegatione, *l. 18. ff. h. t.* qui enim de-  
bitorem suum delegat, pecuniam dare intelligitur, quanta ei  
debe-

debetur, *all. l. 18.* Acceptilatione, *l. 13. §. 7. l. 16. ff. de acceptil.*  
 quæ in effectu tantundem operatur ac ipsa solutio eique com-  
 paratur, *l. 7. §. 1. ff. de liber. legat. C. I. A. thes. 38.* & idè solutio-  
 nis verbo venit, *l. 107. ff. de solut.* sive ipsi fidejussori à creditore  
 accepto latum sit, *all. l. 13. §. 7.* sive debitori principali: nam ex-  
 ceptio reo competens, ad fidejussorem quoque porrigitur. *l. 7.*  
*§. ff. de ex. ept. l. 11. C. eod. l. 32. ff. h. t.* Franc. *cap. 6. num. 26.* nisi fortè  
 acceptilatio fidejussori, qui in obligatioem non incidit, facta fue-  
 rit, *l. 72. ff. h. t. C. I. A. thes. 39.* Compensatione, *l. 4. & seqq. de*  
*compensat.* hocque fit partim propter naturalem æquitatem, quia  
 interest nostra potius non solvere quam solutum repetere. *l. 3. ff.*  
*eod.* partim propter rationem civilem, ut eo facilius dirimantur  
 lites: compensatio enim ad dirimendas lites facit. Oblatione,  
 depositione, & consignatione totius debiti, *l. 64. ff. h. t.* sive à  
 debitore sive à fidejussore facta fuerit: nam ob signatione totius  
 debita pecuniæ solenniter factâ, liberationem contingere ma-  
 nifestum est, *l. 9. C. de solut.* vide Franc. *cap. 6. n. 27. & seqq.* ubi re-  
 quisita depositionis n. 38. tradit. Præscriptione, *l. 3. & 4. C. de pra-*  
*script. 30. vel 40. ann.* Ita tamen, si utraque obligatio eodem tem-  
 pore sit producta: Si enim fidejussor ex post facto tanquam  
 per agnitionem debiti accesserit, tunc fit interruptio. *l. 7. §. 5. C.*  
*eod.* Treutl. *all. th. 7 lit. D.* Transactione rei principalis, *l. 68. in fine*  
*h. t.* Pacto de non petendo inter reum & creditorem inito, *l. ult.*  
*ff. de pact.* quod ad eò verum est, ut quamvis postea iterum pactus  
 sit ut à se peti liceat, nihilominus per prius pactum fidejussor li-  
 beratus maneat, semel enim acquisita exceptio fidejussori, ei in-  
 vito extorqueri nequit, *all. l. ult.* Liberatione legata, *l. 1. l. 3. l. 7. ff.*  
*de liber. legat. l. 49. in pr. ff. h. t.* Et multis aliis modis, qui videri  
 possunt in C. I. A. sæpius citatâ *th. 38. & ap. Franc. cap. ult. allegat.*  
*Tract. de fidejussor. per totum.* Tantum itaque de hâc amplâ & dif-  
 ficili materiâ propter temporis brevitatem & aliarum  
 occupationum copiam conscribere  
 licuit.

SOLI DEO SIT LAVS ET GLORIA.



**D**Um Zeislere vices Sponsorum ludis,  
& ausu

Præclaro illorum jura tuere sacra:  
Si hoc ludo vinctes, quid? Erit tibi vincere  
ludus,

Ut vafer ingenii es, præmia bina feres.  
Obtinget titulus Consulti Juris & AEqui,  
In thalamum veniet sponsa petita tu-  
um.

Ergò præ multis voco Te ZEISLERE  
beatum,

Utraque cum faveat jam Tibi Diva, si-  
mul:

Sponsam namq; Venus spondet nititamq;  
coronam

(Ipse fideiubeo) præparat alma Themis.

Testandi affectus

*scrib.*

Joh. Melchior Sachs, U.I.D.

& Inst. Imp. Prof. Ord.

*Ad*



*Ad Praecellentem atq; Doctissimum*

DOMINUM

DOCTORANDUM RESPON-  
DENTEM,


Amicum suum maximè venerandum.

**H**asce Tuas ZEISLERE theses conarer, ut equum est  
Ac optas, verso concelebrare stylo  
Conatus at Apollo meos frustratur, iniquus  
Illis, rarenter qui sua sacra colunt.  
Ergo quod superest, placeat praecarmine votum  
Quod nunc, substituens mente favente, precor:  
Quos labor & studium, doctrina merentur honores  
Ut fausti obtingant Sideris auspicio!  
Quò Patria studijs maiore praesse decore  
Letaq; coniugij fœdera inire queas.

*Hoc qualicunq; & rudi Minerva  
applaudere voluit & debuit,*

Paulus Anforg,  
J. U. C.

F I N I S.



DOCTORANDUM RESPON-  
DENTEM

Amicum suum maxime venerandum  
Hic tunc...  
Conatum et apud nos...  
Illi...  
Et...  
Quod...  
Et...  
Sub...  
Et...

Paulus Anloig  
J. M. C.

F I N I S



ULB Halle  
006 682 197

3



VDM







B.I.G.

Farbkarte #13

*Pr. 16. m. m. a*  
MUGURALIS

TIONE 1661, 11.  
ORIA

ONE.

DENTE  
*thoritate*

ISSIMI, ET AM-  
ULTORUM OR-  
gentoratensiuu

ROQUE FURE

*honoribus, Privilegiis*

*tibus*  
LIBUS  
*i submittit*

AR ZEISLER,

CUS.  
*Augusti.*

DRATI,  
LINIS.

C LXI.

